



EPICEDIVM 20.

Memoriæ ac honori

Pudicissimæ ac honestissimæ Matronæ

MARTHÆ COLERÆ

Conjugis olim

Amplissimi ac Consultissimi Viri

Dn. D. CYRIACI HERDESIANI JC.

in celeberrimâ Francofurtanâ ad Viadrum

Academia Professoris

FILIAE

Dn. MARTINI COLERI J. U. D.

Practici nobilis,

Ex FILIA NEPTIS

Nobilissimi Europæ IC. Communis in jure
præceptoris

D. MATTHÆI WESENBECKI

Placidè in Domino defunctæ

10. Jan. Anno 1621.

Scriptum à

BETHMANNO HERDESIANO

Phil. & J. U. D. Curiæ Electoralis

Heidelbergæ Advocato

ordinario,

Fraternæ eondolentia ergo

•S):(S•

Heidelbergæ, Typis DAVIDIS ALBINI.

Referendo atq; doctissimo Vice



SÆVITIAE Lachesin, quis non crudelia fata
Arguet, & tristes fundet ab ore sonos?
Cui natæ vitam clari infudere parentes,
COLERUS sacri gloria juris, apex.
Quam mater peperit W E S E B E C I nomine patris
M A T T H Æ I insignis, decidit ante diem.
Bis numerans duo lustra viri spes proxima, vitam
Quæ dando soboli, morte peremta jacet.
Ah dolor in thalamo quæ non compleverat annum
Quintum, claudendo lumina morte cadit.
HERDESIANE doles, periit tua summa voluptas,
Conjugiique decus M A R T H A pudica tui.
Alma Themis, cui sacra facis, quoque turba novena
Iustas jam tecum fusciant lacrymas.
Heu mala sors! soboli ternæ dolor inditus ingens
Morte matris, lacrymas vix cohibere queo.
Nuper ad ambrosii fama hæc pervenit ad oras
Nicri, concussit pectora tristitiâ.
Sepositis lætis lugubri veste dolorem
Pectore concipiens funera mœsta sequor.
Ah dixi, satius dulci sine vivere prole,
Conjuge, quam sobolem matre carere suâ.
Hæc ego terrenis curis addictior, atque
Intentus terræ, vivere qui satago.
Cui durum thalami confortem amittere blandi,
Cui durum orbatos matre videre suos.
Ast superos recolenti aliud fidissima monstrat
Relligio, vitæ formula certa piæ.

Hæc loquitur, Domini non est taxanda voluntas,
Diffidit quisquis plus nimis ora madet.
Ille dedit gratis verâ pietate maritam,
Poscit at ipse Deus, quod fuit ante suum.
Nam quoscunque Deus caro conservat amore,
Ante diem placidâ morte vocare solet.
Mortua nequaquam, vivit pars maxima, cœlum
Occupat atque Dei conloquio fruitur.
Et genus & pietas, conjunx quâ comta refusit,
Haud pereunt, vivunt, secula sera vident.
Corporis exequiæ gelidâ retinentur in urnâ
Ultima restituent tempora justa tibi.
Noli tristari, superant tibi pignora lecti
Frater, conjugij queis memor esse potes.
Infantes tenero capit is vos pectore curam?
Ponite, curandos suscipit ipse Deus.
Enfurit Hispanus dirus, fera bella geruntur
Magnorum, motus turba cruenta ciet.
Sævitiam Rhenus Martis cæcumque furorem
Proh dolor expertus, sors miseranda virum!
Hæc vicit conjunx genetrix quoque morte beatâ
Vincendo, viætrix dia brabea capit.
Quod superest nati vivant, dulcissima patris
Ora premant, vocent secula multa patrem.
Hoc precor ex animo cum conjugé, quæ quoq; salvum
Te jubet adfinem, pignora cara tua.

ELEGIUM annum obitus continens.

HérDeslane tibi sVbLata est Costa DoLore

PartVs, non LIVor, CœLICa regna CapIt.

F I N I S.

ULB Halle
002 677 830

3



S6

Nv 1999

(1/69.)

VDA



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DIVM 20.

c honori

issimæ Matronæ

C O L E R Æ

olim

nsultissimi Viri

I E R D E S I A N I J C.

urtanâ ad Viadrum

rofessoris

Æ

O L E R I J. U. D.

obilis,

N E P T I S

Communis in jure
ris

W E S E N B E C I

no defunctæ

o 1621.

n à

I E R D E S I A N O

uriæ Electoralis

Advocato

io,

lentia ergò

V I D I S A L B I N I .

Levarando atq; dochissimo Vico